

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 14. De immensitate Dei, & eiusdem in rebus & locis omnibus  
præsentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

## III.

*& paruula facta est manus mea, ut non possum redimere? Quasi diceret, non mea manus abbreuiata est, aut liberalitas, & omnipotentia mea aliquod detrimentum est passa, ut non possim vos liberare, & ut consueueram, bene facere; non, inquit, ita est, sed culpa vestra, & parcitas manuum vestrarum, meas manus contraxerunt, & effecerunt, ut mea iustitia liberalitatem retinuerit & angustauerit. Veram in hoc ipso ostendit se Deus liberalissimum, cui graue est ac per molestem, videre se ita constringi, & a sua iustitia, propter nostra scelerata, quodammodo cogi, non uti profusione consueta suorum donorum erga nos. O liberalitas infinita, reijce misericorditer ame omnia impedimenta, que oppono desiderio tuo; remittens mihi peccata, ut tuorum donorum capax efficiar, Amen.*

*MEDITATIO XIV.  
DE IMMENSITATE DEI,  
& eius praesentia in omnibus locis,  
& rebus omnibus.*

S. Thom. I.  
p. q. 8. a. 2.  
q. 2.



AEC Meditatio magni efficiendi momenti, quia est fundatum orationis & contemplationis, & unionis illius, quae finis est harum meditationum ad viam VNI TIVAM pertinentium.

PVS

## PVNCTVM I.

**C**ONSIDERANDVM est primò, quòd Deus Dominus noster, Trinus & Vnus ita est immēsus, vt dixerit per Prophetam: *a nunquid non cælum & terrā ego impleo?* & de eius spiritu dicit Sap. b *quoniam spiritus Domini repleteuit orbem terrarum;* ita vt nullus sit angulus, in quo nō sit Deus; & vt est purus spiritus, etiam omnia corpora penetrat, & est intra illa; est intra ipsa corpora cœlestia, intra mare, intra ipsū cor terræ; nec est possibile vel imaginari locū aliquē, aut pūctū, in quo nō sit Deus. Et ideo quocunq; iuero, cogitare debeo, ne ire intra ipsum Deū, sicut pisces se mouēt intra aquā, & aues intra aërem; dicamq; cum Davide: c *si ascendero in cælum, tu illuc es: si de- scendero in infernum, ades. Si supero pennas meas diluculo, & habituero in extremis maris, illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.* Nō est itaq; mihi possibile, Deū effugere, aut ab eo me abscondere: nā in ipsa via, per quā fugio, ipse est; & in loco, vbi abscondere me voluero, illum inueniam. Verū multò adhuc amplius habet ei<sup>r</sup> immēsus: nā ita cœlū & terrā, & totū hoc vniuersū implēt, vt nō sit huic loco alligatus aut cōstrictus; sed simul esse potest in aliorū mundorū millionibus, quos potest creare, supra hos cœlos. Et totus locus, quē nūc implet, est instar pūcti, si cōferatur cū immenso loco, quē potest implere: & ideo dixit

Salomon.

I.

*a Ierem. 23.*

24.

*b Sap. I. 7.**c Psal. 138.8*

Salomon, loquens cum Deo: deceliorum te  
capere non possunt.

d 3. Reg.8.  
27.

c Heb.11.27

f 1. Tim.2.8

g Baruch.3  
24.

h Ibai.66. 1.

HAE C consideratio est sementis magnorum affectuum & virtutum, si fiat ut oportet, excitando in nobis fidem presentia Dei vbique existentis, ad imitationem Moysis; de quo ait Apostolus, quod e inuisibilem tanquam videns sustinuit: Ita scilicet cum Deo inuisibili agens, atque si reuera eum vide-ret. Ita ego aspiciam Deum fide, cum quo lo-quar in oratione, sperabo ab eo auxilium, consulam illum, meaque omnia ita agam, arque si corporis oculis mihi assistentem viderem: nam et si his videri non possit, reuera tamen ibi est, ubi ego sum: debentque oculi luminis supernaturalis & fidei, hunc oculorum corporis defectum supplere. Ex quo fit, ut omnis locus, mihi possit esse locus orationis; si quid Deus est in omni loco, cum quo tamquam pre-sente liceat loqui, iuxta illud Apostoli, Prolo-  
ros orare in omni loco. Refert autem hoc mul-tum ad usum orationum iaculatoriarum.

EXCITATA hac ratione fide, prorumpam in affectus admirationis, & gaudij; admirans scilicet tantam Dei immensitatem; & gaudens quod adeo sit immensus, ut neque orbis uni-versus illum capiat; & dicens cum Prophet:  
g O Israel; quam magna est Domus Dei, & in-gens locus possessionis eius. Magnus est & non ba-  
bet finem; excelsus & immensus. O Deus im-mense, h cuius sedes est celum, terra autem scabellum pedum eius: quem tamen nec virum

que potest comprehendere, quia i *excelsior cæ-*  
*lo es, k & super stellarum verticem sublimaris,* k 22. 12.  
*esq, profundior inferno, longior terra, mensu-*  
*ratua est latior mari ! Gaudeo de tua immen-*  
*sitate, cum tanta simul gloria coniuncta, vt*  
*nihil vilitatis ei adferat loci abiectio. Clari-*  
*fica, Domine, internos oculos meos; vt cer-*  
*tuus te videam, quām si te viderem externis.*

## PUNCTVM II.

**D**EINDE considerādum, quomodo Deus  
*Dominus noster, sit in omni loco, & in*  
*rebus omnibus creatis; per Essentiam*  
*scilicet, presentiam & potentiam.*

**P**RIMVM Deus est in rebus omnibus per  
*suam Essentiam, quia verè ac realiter est in il-*  
*lis, secundum totam suam diuinitatem, cum*  
*omnibus quæ habet, & operatur intra se: quia*  
*& indivisibilis est, & inseparabilis. quare cre-*  
*dendum mihi est, quod hic, ubi ego sum, est*  
*totus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus S. Hic*  
*Pater est generans filium; & Pater ac filius hic*  
*sunt, producentes Spiritum S. Hic est infinita*  
*eius bonitas, charitas, Misericordia, & insti-*  
*tia. Hic est sapientia eius, omnipotentia, &*  
*reliquæ excellentiæ, ac perfectiones diuini-*  
*tatis eius. Et idem, qui hic est, est etiam in cœ-*  
*lo, qui creauit mundum, qui illum gubernat.*  
*Et si hic haberem Iunen ad ipsum videndum,*  
*hic me faceret beatum. O Anima mea, si fidem*  
*tuam acuères, cùm es sola: videres, te non esse*  
*solam, siquidem tecū sunt tres diuinæ personæ.*

si sola

I.

Si sola existens, vis tuas omnes facultates optimè occupare; hic habes summam bonitatem, quam possis diligere; infinitam maiestatem, quam debes adorare; supremam sapientiam, cum qua liceat conuersari; Diuinam omnipotentiam, cui possis confidere; infinitam latitatem, in qua possis exultare. Gaude cum presentia talis Patris, conuersare cum Filio, loquere cum Spiritu sancto; ingredere in seipsum individuam Trinitatem, & immensem diuinitatem, attendens, quod ex omni parte te ambiat; & hac ratione fiet, ut semper sis cum Deo; & omnis locus erit tibi instar aulae cœlestis. siquidem ubi diuinus hic est Rex, etiam est eius aula. O Rex immense, qui in toto tuo regno ita es per Essentiam: ut totus assistas cœlibet parti: concede mihi, ut ego totus coram te assistam, tibiique seruiam, sicut tantus Rex dignus est, cui ab omnibus in eius conspectu seruiatur.

## II.

DEINDE est Deus in omni loco, & in omnire, per suam præsentiam; cernens & cognoscens quidquid est in singulis. Non itaque est Deus hic sicut est homo in aliquo loco dormiens, aut sensibus suspensus, aut distractus, qui non aduertit ubi sit; nec est Deus in horizonte, quæ non videt quid intra illud habeat: quia ubi ipse est, videt & cognoscit locum, & dominum totam, ubi est; ita ut nihil possit ipsum latere. Et quamvis locus alias sic obscurillimus, Deo tamen ipsi est clarus, a quiete

a Psal. 138. 12



bra (ut ait David) non obscurabuntur ab ipso,  
sed nox potius sicut dies illuminabitur. Quare  
respice, anima mea, & attende, quod hic sit  
Deus, & quod te hic aspiciat. Svis orare in oc-  
culto, Deus ibi est, b qui te videt in abscondi-  
to, & attendit orationi tuæ, ut illam exau-  
diat; Si tentatio te vexat, attende, quod te Deus  
respiciat, c cuius oculi sunt mundi: ne videant  
malum. & respicere ad iniuriam non possunt,  
& d similiter odio sunt Deo impius, & impietas  
eius; Si te videris afflictam, cogita, quod Deus  
tuam afflictionem aspiciat, & quod nouerit  
tempus opportunè illi subueniendi; Si ali-  
quod bonum opus vis facere, ne attendas, quod  
te homines aspiciant, sed quod te aspiciat  
Deus, qui videt plus quam omnes homines, &  
multò plura ipse solus videt, quam omnes illi  
simil Huic ergo soli desidera placere, siqui-  
dem ipse solus te iudicaturus est ex his, quæ  
videt in te. O Deus immense, qui es e in omni  
loco plenus oculis, quibus *contemplaris bonos*  
& malos, clarifica aspectu tuo oculos meos,  
vt attendens, q̄ me aspicias, vitâ ducâ sicut tu  
vis, nihil faciēs indignū tua præsentia, vt per-  
ueniam ad fruendum clara tua visione. Amen.

TERTIÒ est Deus in omni loco, & in singu-  
lis rebus, per potentiam: quia non solum est a-  
spiciens quid ibi sit; sed etiam sua omnipoté-  
tia dat rebus esse, quod habent; & iuuat facere,  
quidquid illæ faciunt, iuxta illud Apost. f non  
est procul ab uno quoq; nostrū: quia in illo viuim⁹,  
mouemur, & sumus. Nō itaq; locus Deū sustinet

b Mar. 6. 6.

c Mal. 1. 13.

d Sap. 14. 9

e Prover. 15.

3. &amp; 16. 2.

## III.

f Act. 17. 27

sic-

sicut me; sed Deus ipse locum sustinet, & res omnes conseruat, ubique sunt; & si vivunt, id sit, quia Deus est in illis, vitam eis tribuens; si mouentur, id est, quia Deus est in illis, dans eis motum; si habent esse, id est, quia Deus in illis existens, dat ut sint, & in eo illas conseruat; & statim, atque subtraheret se Deus ab aliquo loco, aut re aliqua, illa desineret esse:

QVARE aspiciens ego res omnes mundi, in omnibus attendam esse Deum per *Essentiam*, *Præsentiam*, & *Omnipotentiam*, in illis & per eas operans. Et sicut aspiciens hominem, per externa & visibilia, quæ in eius corpore certino, transeo ad id quod interius est inuisibile, animam scilicet, quæ corpori dat esse, vitam, & motum, quem habet: ita aspiciens omnes creaturas penetrare possum oculis fidei, id, quod in eis est, Deum videlicet, non tanquam earum animam aut formam, sed excellentissimo quodam alio modo; quo illis dat esse, & quidquid habent, & faciunt.

Ex his concipiam affectus amoris, gaudii & laudis; gaudens quod videam talem Deum suis creaturis coniunctionem, & modum quo est intra illas; & ita quæ pulchra sunt, non me trahent post se, ut inordinata illas diligam; ut quæ sunt horrendæ, nomine adeò terrebunt, ut multum illas fugiam; & cum videro me esse prope aliquaferas, aut inimicos meos, possum ac debet credere me esse coniunctum Deo, qui est in

rebus omnibus: ex quo magnum relumam a-  
nimum, dicēs illud Iob: *g pone me iuxta te, &*  
*cuiusvis manus pugnet contra me.* O Deus om-  
nipotens, *h etiam si consistunt aduersum me ca-*  
*stra inimicorum, non timebit cor meum.* Certus  
sum enim, quod sim prope te; absque cuius vo-  
luntate nec mouere poterunt manum suam.  
Semper te ante oculos meos collocabo, &  
prouidebo te in conspectu meo semper; quoniam a *i Psal. 15. 8.*  
*dextris es mihi, ne commoue ar.*

*g Job. 17. 3.**h Psal. 26. 3**i Psal. 15. 8.*

## PUNCTVM III.

**T**ERTIO, magis adhuc in particulari ob-  
seruandus est modus & ratio, quā Deus  
est intra me, & ego sum, viuo, & moueor  
intra ipsum Deum.

I.

**P**RIMVM, quia Deus me circumdat & am-  
bit ex omni parte, sicut aqua maris pisces m,  
qui in eo est; & sicut pupilla est intra oculum,  
ita ego sum intra ipsum Deum, & ipse met di-  
xit; *a quod nos portet in utero suo, & gestet in*  
*vulnus sua*, sicut mulier que concepit, gestat  
infantem intra se ipsam; cui illa & domus est,  
& lectica, & murus, & alimentum, & reliqua  
que sunt illi vñsi. Quomodo non exultas, ani-  
ma mea, & præ gaudio non exilis, aspiciens te  
ipsam hoc modo intra Deum tuum! ille est  
domus tua, de qua non potes exire; & intra *a Isa. 46. 3.*

VI. Part. Med.

m

nies

nies; ille tua est lectica, in qua gestaris, quo  
cunq; sit tibi eundum. nisi enim ille te gester,  
non poteris te mouere. ille tuus est murus, qui  
te circumdat, sine quo non habebis securitatem;  
est tuum nutrimentum, & vita, quia verè in eo  
illam habes, & ab eo illam accipis multò ve-  
rius, quam infans, in utero matris manens, ab  
illa recipit vitam. O Deus amantissime, mater  
dulcissima, quæ quoctunque iuero, me gestas,  
in tuis visceribus, cōcede mihi, vt & ego sem-  
per te gestem intra mea, per cognitionem &  
amorem; agnoscēs scilicet bonum, quod mihi  
confers; & amans te ob amorem, quo me pro-  
sequeris. Sum intra tuam bonitatem, transfor-  
ma me in eam; viuo intra tuam charitatem, ei-  
dem me inflamma; intra tuam omnipotētiam  
ambulo, illa, quæso, me adiuua. Et siquidem  
totus sum intra te, transforma me totum in te,  
vt non amplius mihi, sed totus tibi viuam in  
æternū. Amen.

b Deut. 4.  
24.

HANC considerationem licet ad particula-  
ria applicare, ratiocinando per diuinatatri-  
buta, nunc enim licet cogitare, quod b Deus su-  
ignis quidam consumens, & quod totus hic mu-  
dus, hoc igne sit plenus; intra quem ego vido  
admirans verò, quomodo non ardeam, &  
quomodo nō cōsumet in me quidquid est ma-  
li; vtrumque hoc attribuam magnæ frigidita-  
ti meæ, quæ plurimum illi resistit. Alias cog-  
tabo, Deum esse tanquam lucem quandam in-  
finitam, quæ se per totum uniuersum exēdit,  
& sicut sapientiam & pulchritudinem im-

menum



mensam; cuius gloria & splendore sit tota terra plena; me ipsum verò intra hanc lucem & pulchritudinem versari; & orabo supplex, ut eius me participem faciat. & sic licebit de reliquis attributis cogitare.

DEINDE Deus Dominus noster est intra me ipsum, mihi multò magis coniunctus, magisque intimè viitus, quam ipsa anima sit intra ipsum corpus; quamuis modus sit magis elevatus, per Essentiam, Præsentiam, & Potestiam, sicut iam declarauimus. Intra me itaque est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tota diuinitas vere ac realiter. ex quo fit, ut infinita eius bonitas mecum coniuncta, communicet mihi esse, & vitam, quam viuo; eius sapientia det mihi lucem, & cognitionem, quam habeo; eius omnipotentia facultatibus meis coniuncta, illas adiuuet in suis actionibus; coniuncta oculis illos iuuet, ut videant, coniuncta auribus iuuet, ut audiant; cōiuncta pedibus, ut ambulent; cōiuncta memoriæ & intellectui adiuuet, ut recordetur & intelligat; cōiuncta voluntati & appetenti facultatibus iuuet, ut velint, & suos actus eliciat. Et ita possū ac debeo aspicere Deum intra me ipsum præsensissimum; atq; si ego esse domus, & habitatio eius, ubi ille est; & facit, qdqd ego sum, habeo, & facio: absq; cuius præsentia, statim ego desinerem esse, nā hic habitatione suā conseruat, q; si deserat, mox illa conuertetur in nihilum. Ex quo magnos cōcipiā affectus gaudij admirationis, fiduciae, & amoris, q; me videā Deo cōiunctū.

SED nominatim operam dabo, ut cor meum sit conclave & recessus, ad quem ego me recipiam ad orandum, & conuersandum cum Deo meo: siquidem ipse est intus, & videt, auditque quod oro & peto; & ibi quoque est potens, illud mihi concedere. Et hac ratione intelligunt multi sancti, quod dixit Christus, c.

c. Mat. o. 6.

S. Aug. cōc.

2. in illud

Psalm. 33.

Exquisitui

Dominum

& illud

psal. 100.

Perambu-

labam in

innocentia

cordis mei.

cum oraueris intra, in cubiculum tuum, scilicet in cor tuum, & clauso ostio tuorum sensuum, ora Patrem tuum coelestem in abscondito, &c.

STUDIEBO etiam assuescere, ut queram Deum intra me ipsum: siquidem enim intra me est: cur defatiger quererem illum tantum extra me: ad hoc autem conabor animam meam purgare ab omni eo, quod potest Deo displicere, qui intri ipsam praesens est, conabor etiam ita vitam meam instituere, ut nihil admittam quod Deum offendat, aut quod me prohibeat illum vide- re, cognoscere, & actuali amore me illi coniungere.

### III.

ALIAS, ut ait S. Thomas, conabor frui haec Dei praesentia, & infinito thesauro, quem intra me ipsum habeo, sicut solet amicus amicorum praesentia gaudere; debilis praesentia fortioris, qui illum iuuet; & pauper praesentia diuitis misericordis; & sicut artifex adhibet ad opera sua artis, instrumenta que domi habet, nec ex aliò, ut illa querat; & diues utitur sua pecunia & thesauro, que in suis cistis reconditum habet & famelicus cibis, quos habet in suo promptuario. O Anima mea, intrate ipsam habet omnia bona, cur non illis frueris? intrate ipsa

est summas tuus amicus & Pater, gaudet quod illum tecum habeas, coniungere illi intimè, tradens ei totum cor tuum. Si es pauper, tecū habes Deum, qui dives es in misericordia: accede, ut suarum diuitiarum te participem faciat. Si debilis es, ac pusillanimis, tecum habes Deū, qui est ipsa fortitudo; cui si coniungaris, omnia eius virtute, præstare poteris. quid anxie nimium extra te queris auxilia Creaturarum, habens intra te Creatoris omnipotentiam? O Creator meus, & Deus meus, & omnia mea perfice in me hanc coniunctionem, quam tecum habes; addens perfectissimam unitiōnēm gratiæ, ut & ego perfecta charitatis unitiōne tibi coniungar.

## PUNCTVM IV.

**C**ONSIDERANDI præterea sunt particulares quidam modi, quibus Deus est in locis, & rebus aliquibus.

PRIMVM est specialis modus, quo Deus est in COELIS, nā in reliquis locis ita latet; vt non nisi per fidem videri possit: at in cœlis est resuelatus, ubi clare & aperte diuinam suam effundit beatis omnibus manifestat, resq; gloriissimas in illis operatur: qui ipsum aspiciunt; & hanc ob causam, cœlestis Ierusalem appellatur a tabernaculum Dei cum hominibus, a Apoc. 21.3 quo Deus simul habitat, & eius electi cū eo, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis est eorum Deus. O Deus altissime qui in altissi-

I.

m 3

mis

mis habitas, deduc me ad istud tabernaculum, in quo cum tuis electis maneam, videam, fruarque infinito bono, quod hic quidem habeo; sed quia non video, eo non fruor.

## II.

¶ Gen 28.12

DE INDE Deus Dominus noster, est specialiter in illis TERRAE locis in quibus aliquod singulare indicium dare solet suę præsentis, dum aliqua in illis admiranda efficit: ideoque cùm Iacob in solitudine b. vidisset in somnis claram stantē super terram & cacumē illius tangere cœlū. & Dominū innixū scalā, dicentem sibi: ego sum Deus Abraham Patri tui, cū euigilasset Iacob de somno, ait, verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebas paucensq; quā terribilis est, inquit locus iste! nō est hic aliud, nisi domus Dei.

¶ Reg. 8.29 portacœli, Hoc modo est Deus Dns noster, in templis, & oratōrijs, locisque alijs, orationi & contemplationi destinatis; & in quavis solitudine, ubi solet Deus gratias & favores particulares erga nos ostendere, propterea sigillō.

¶ Osea 2.14 xit: d ecce ego lactabo eā, & ducā eā in solitudo, et loquar ad cor eius. Hoc ergo affectu & reverētia est mihi ad huiusmodi loca accedēti, reverendo præsentiam Dei, qui se in illis manifestare consuevit,

## III.

TERTIÒ, Deus Dns noster est speciali quodī modo in IUSTIIS; per fidē scilicet & gratiam, faciēs in illis, & cū illis opera supernaturali, digna vita æterna. Quamobrem dixit S. Ioan. e qui manet in charitate, in Deo manet, & Deo in illo. qui enim amat, manet in re amata; & quando duo se inuicem amant, etiam manent.

¶ 1. Ioan. 4.16

inuicem, alter in altero. Ec ita qui Deum dili-  
git, in Deo est: & quoniam Deus eundem dili-  
git, est etiam Deus in illo. Præterea iustus est  
in Deo, quia est intra ipsius viscera circum-  
datus, & protectus ab ipsius protectione; &  
Deus est in ipso, assistens intra eius animam,  
dans illi quod sit, quod vivat, & opera faciat  
gratiae & charitatis. O Deus immense, cu-  
ius caritas adeo est immensa, ut cupiat suam  
immensitatem in eo manifestare, ut per suam  
gratiam sit in omnibus, qui eius sunt capaces,  
juxta illud Apost. f. qui vult omnes homines  
saluos fieri; Remoue à me omnia impedimenta  
gratiae tuæ, ut permaneas in me, & ego in te in  
eternum. Amen.

PRAETER hæc omnia, est Deus Dominus  
noster quodam alio modo maximè singulari,  
intra aliquos suos AMICOS, in intimo & pro-  
fundo spiritu eorum; ubi se illis manifestat  
illustrationibus & colloquijs internis, reue-  
lans illis mysteria suæ diuinitatis, magnis te-  
lumonijs signisq; suæ præsentia. Ex quo ma-  
gna in illis prouenit magnanimitas, & fiducia;  
ungens securitas. Pax & gaudium internum,  
cum certo æternæ beatitudinis pignore, qua  
vehementer delectantur; aduentientes luce il-  
la accepta se esse intra illam Dei imminutatē,  
& Deum suum imminens sibi tali modo præ-  
sentia, & amoris unitum.

QVARTVM hunc modum demissè reuerteri  
oportet, tertius aut̄ est sollicitè querendus, &  
omnibus nostris virtibus perficiendus; cōmissis

## I V.

interim diuinæ prouidentiæ reliquis extraordinarijs, quæ ipse voluerit in nobis operari; satis nobis esse existimantes, spem eundi tandem eò, vbi videtur ipse facie ad faciem, & est totus intra omnes, & omnes intra eum, immersi in æterno Domini sui gaudio,

### MEDITATIO XV.

#### DE INFINITA SAPIENTIA & SCIENTIA DEI.

##### PVNCTVM I.

I.

S. Thom. 1.  
p. q. 14. a. 2.  
& 3.

S. Thom. 1.  
p. q. 26. a. 2.



ONSIDERANDVM primò Deum Dominum nostrum, infinita sua sapientia cognoscere & comprehendere se ipsum, diuinam suam essentiam, suas personas, bonitatem, omnipotentiam; & omnes infinitas suas perfectiones: Item oēs actus suos, intentiones decreta, dispositiones, & reliqua omnia, quae statuere & facere potest, ita ut nihil possit eius cognitionem effugere, sed satiet impletatq; infinitam diuini sui intellectus inclinationem & capacitatem, idque summa sua voluptate nihil itaq; aut desiderat aut scire potest; quod non seiat. Et in hoc consistit beatitudo Dei, quamuis non propterea sit beatus, quod se extra se cognoscat, sed quod cognoscat ipsum.